

PETRI RUSSII
INSIGNIS PHILOSOPHI
SENENSIS HISTORIÆ
SUORUM TEMPORUM
FRAGMENTUM.

Lucam Urbem imperio suo adjungere Florentini jam pridem concupierant: ejus potiundæ his demum oblata est occasio per Nicolaum Fortebrachium Perusini Brachii illius celebris ex Sorore Stella Nepotem, ex qua interdum Nicolaus Stella nominabatur. Is cum per plures annos in Cisalpina Gallia, quam nunc Lombardiam vocant, atque Flaminiam, pro Florentinis contra Philippum Mediolanensem Ducem stipendia meruisset, rebus tandem compositis, in Etruriam redierat, ac fortè in Volaterrarum receptione à Florentinis vocatus, illis fuerat auxilio. Sed mox cum ad Fuscium cum suis militibus velut otiosus desideret, seu prædæ cupiditate, seu Florentinorum quorundam Civium ex bellis bellaquærentium subornatione commotus, de improviso Lucensem agrum mense Novembri Anno 1479. adortus, leves quasdam causas in sui excusationem adducens. Cùmque Oppida nonnulla, partim vi, partim deditione cepisset, Florentinos literis sollicitare continuè, ut bellum per se ipsi susceperant, Civitatem ipsam, velut imparatam, si id fiat, propemodum occupaturos. Oritur ea de re maxima inter Cives dissensio: nonnullis rem, ut iniquam, & Reipublicæ inutilem detestantibus, nonnullis verò quietis impatientibus, & ex bellis bella tentibus, tamquam ex eis lucrum facientibus, rem ut honorificam, & Reipublicæ commodum allaturam Populo suadentibus. Multitudo autem ut ex suaapte natura in inferiora propeasor, cum ad bellum inclinaret, publicè tandem post multorum contradictionem, susceptum est, Nicolaoque responsum, Florentinæ Reipublicæ nomine bellum ut prosequatur, & pecunia ad stipendium, com meatuque, ac miles in supplementum missus: quibus rebus, & viribus, & animis auctus, omnia circum Oppida occupabat. Paulus autem Guinifus, qui jam pridem Civitatis tyrannidem occupaverat, cum inexpectato se undique bello petum vidisset, Oratores suos ad Florentinos miserat, injuriam questum, rogatumque auxilium sibi ad hostem pellendum uti præberent, sin minus id agere vellent, subsidium saltem, favoremque adversario præberent. At Florentini se excusantes, suaque culpâ factum denegantes, etsi auxilium & quidem apertè denegaverant, ne quis tamen suorum in Lucensem agrum damnum inferret, per præconem, & frustra quidem,

A edixerant, pecuniamque penes Cives suos deponi ad milites conducendos pertulerant. At cum ab his aperto Marte se peti Paulus liquidò perspexisset, ad auxilia aliunde conquirenda conversus, à Venetis primò, mox à Mediolanensem Duce postulavit. Qui cum ob fœdus nuper cum Florentinis initum denegassent, ad Senenses, tamquam periculo propinquiores, animum convertit. Oratorem itaque ad eos misit, rogatum, ut sibi auxilio esse velint, ostendens è Republicæ eorum non esse, ut Florentini Lucæ adjectione potentiam augeant, non quieturi, donec totius Thuscæ imperium consequantur: expurgandum esse penitus, dum sibi vires suppeterent, nec expectandum, donec Lucensi Urbe occupata, novis occasionibus, atque committentis in eos arma convertant: quòd si Lucenses sibi semper amicissimos opprimerent, Senenses, qui graves in illos inimicitias exercuerint, ac maxima quandoque lamina intulerint, tutos nullatenus fore; proinde, velut in communi causa, sui defensionem susceperent.

B His igitur rationibus moti Senenses, maxime verò cum audirent cantilenam quamdam per Florentiam vulgo decantari, quæ post captam Lucam, Senas etiam se petituros esse jactabant, Oratorem ad Florentinos misere, hortatum, rogatumque, ut à Lucensium oppressionibus desisterent. Is erat Antonius Petrucci Eques, Checchi Russii filius ingentis animi juvenis, ac bellica laude insignis, qui, ut erat Lucensium studiosus, Florentinæ suadere nitebatur, ne Civitatem utrisque amicissimam bello lacerarent, neve totius Thuscæ quietem perturbarent, ex quo Senenses rebus suis prospicere cogenterent.

C Responsum est à Florentinis fide satis, ac dubiè: Justum bellum contra Lucensium Tyrannum se gerere, cum ipse Ladislaum filium cum equitibus ad Philippum Mediolani Ducem contra eos tunc bellum gerentem, stipendiis militaturum miserit; Senenses verò non esse, cur vereantur, cum sibi nullo pacto jus amicitie, quod cum his habebant, violare versetur in animo.

D His talibusque verbis, rationibusque Senensibus satisfacere, quin imò verba dare nitebantur; at nequaquam Oratoris animum delinierant, qui in Prætorem à Lucensibus pridem accitus, quò tutior accederet, cum à Magistratu fidem paucam postulasset, non solum datis verbis delusus est, verum & ludibrio habitus, saxis etiam à pueris quibusdam,